A rarchia, feraria. Qui quatuor dominatur, epitherarchus, duplicaris ferarius: & hæc constitutio epiterarchia, duplicaris feraria. Qui octo præfectus est, ilarcha, hoc est, turmæ Princeps, & constitutio ista ilarchia, turmæ præfectura. Qui sexdecim præest, elephantarcha, id est elephantorum præfectus: & constitutio elephantarchia, præfectura elephantorum, qui triginta duobus imperat, ceratarchia, id est, cornu præfectus: & constitutio, ceratarchia, cornu præfectura. Quod autem ex sexaginta quatuor constat, id phalangem vocamus elephantorum, cujus præfectus Elephantarcha vocatus est.

Genera præfectarum copiarum, & nomina constitutionum & ordinum exercitus, omnia in hunc modum notata animadvertimus, vocabula de cætero, quæ in præceptis versantur, explicasse utile est: ut jam pridem milites, quid quodque significet, certiores, facilè quæ per aciem imperantur, intelligere possint, & facere. Est quòd declinatio appelletur, cujus duplex est genus: aut enim in hastam, aut in scutum. Immutationem item dicimus, & conversionem, & reversionem, & inflexionem. Ad hæc versare, jugare, reddere in B arrectum, evolvere, duplicare. Addo inductionem, dextram deductionem, lævam deductionem. Phalangem transversam, phalangem arrectam, & phalangem obliquam. Intercalationem, præpositionem, impositionem, suppositionem, postpositionem, appositionem. Quid quodlibet eorum significet, breviter exponam.

Nec ignoro, non apud omnes Autores præcepta eisdem esse nominibus tradita. Declinatio est motio militum singulorum, cum vel in hastam, hoc est, dextrorsum sese convertunt, vel in scutum, hoc est, sinistrorsum. Quod commodè agitur, quoties hostes existunt à latere cornu, utique superandi, aut adversi itineris gratia, aut ob aliquem usum alium, quemadmodum singulis in rebus ostendam. Duplicata autem declinatio partem versus eandem, ora militis in hostilem tergo conatum transfert. Quæ res immutatio dicitur, & vel in hastam, vel in scutum fieri solita est.



Prima statio ante declinationem.

C Prima declinatio.

Secunda declinatio, quæ & immutatio dicitur.

Discrimen duplex notatur immutationis: aut enim ab hostibus, aut in hostes immutantur. Quamobrem immutationem ita definiunt, ut prioris aspectus translatio fit in aspectum posteriorem, hoc est, tergi, aut è contrario. Immutatio igitur ab hoste, bis in hastam milite declinante efficitur: In hostem autem, bis declinante in scutum fieri assolet. Conversio est, cum densatis copiis per astitem substitemque, totum phalangis corpus, tanquam hominem unum, vel in hastam vertimus, vel in scutum, ita ut circa primum decurionem, velut centrum, omnes circumagantur, atque ita locum priorem ut immutent, aspectum dextrum accipiant, singulis substitibus & astitibus loca servantibus, suo hoc modo.

Discrimen.

D Prima statio aciei.

Reversio est conversionis restitutio in eundem locum, quem ante copiæ densa instructione obtinebant, quàm conversio fieret. Inflexio est militum ex duabus conversionibus motio, ita ut locum accipiant posteriorem.

E



Deflexio est militum ex tribus conversionibus motio, ita ut si ad hastam agantur, transeant in lævum aspectum: si ad scutum, in dextrum.

Prima conversio in scutum.

F



Versare, est singulos sua in decuria è directo decurioni & tergiducto, id est, constare æqua inter sese conversantes intervalla. Jugare est, singulos sua in decuria è directo suo astiti stare, servantes simili modo intervalla. Jugant ergo præ- G fecto primæ decuriæ omnes decuriarum præfecti. Substiti verò primi præfecti substites cæterorum omnium principum, ac deinceps ad hunc modum. Reddere in arrectum, est militis ora ad primum aspectum restituere. Verbi gratia, si miles adversus hostes constitutus imperetur declinare in hastam, deindè præcipiatur in arrectum restitui, rursus in hostem converti, adversumque stare oportebit. Evolutionum duo sunt genera, alterum per decurias, alterum per juga. Utrumque in tres digeritur species, Macedonicam, Laconicam, Choreum, quæ & Persica Cretensis nominatur. Macedonica est, quæ primorem phalangis locum commutat, & frontem in tergum aspectumque posteriorem traducit. Laconica est, quæ locum phalangis posteriorem commutat: & pari ratione relicto primore aspectu, sumit posteriorem, tergumque efficit frontem. Persica illa, quam & Cretensem & Choreum diximus nuncupari, locum eundem servare phalangis, militibus singulis commutantibus sua loca, ita ut præfectus decuriæ locum tergiductoris accipiat, & tergiductor vicem præstet decurionis, fronsque ex tergo aspectui posteriori reddatur. Evolutiones per juga fieri so- H lent, quoties cornua transferri ad intercisa sive secturas, & intercisa ad cornua melius est, ut mediæ copiarum partes corroborentur: & aut dextræ per lævas, aut lævæ per dextras reddantur validiores. Qui ne per majores exercitus partes faciant evolutiones, canent hoste propinquo, per minores ordines eas securiùs faciunt. Quemadmodum autem evolvi oporteat, dicam. Evolutio per versum, quæ nomen à Macedone accipit, fieri solet, cum decurio locum immutat, & postpositi omnes conversi de hasta sequuntur, intervallisque iisdem servatis, & consistunt per ordinem. Genus Laconicum agitur, cùm decurio immutatus de hasta universam decuriam transfert, & locum sibi parem alium accipit, & reliqui omnes sectantes recto se constituunt ordine, & aptant, aut cum tergiductor immutatur. Primus autem subsistens, conversus de hasta ante tergiductorem se collocat, cæterique omnes sectantes, alter sese præ altero ponit, donec præfectus decuriæ primus constituatur. Choreus ita fit, ut decurio de hasta mutatus decuriam antecedat, & cæteri omnes sequantur, dum ipse præfectus locum

A locum tergiductoris accipiat, & tergiductor præfecti. Ita per decurias evolvi solitum est. Quod eodem more per juga quoque evolvimus, quoties per ordinem evolvendum sit, ut quilibet ordo aut locum servans eundem evolvat, ac dextrorsum transeat. Nihilo enim secus, quàm modò retulimus, agi oportebit. Duplicandi duo sunt genera: aut enim per juga, aut per altum duplicamus. Utrumque vel numero fit, vel loco. Numero duplicabitur longitudo, si quæ M.XXIV. militibus constat, MM.XLVIII. reddatur, insertis ex substitibus altitudinis in militum intervalla eodem, quod longitudo occupat, loco: quod facimus, quoties densare longitudinem placet. At ubi restituere placuit, evolvere sua in loca jubemus eos, quos inseruimus longitudini. Sed sunt, qui genus hoc duplicandi improbent, præsertim hoste propinquo, expeditasque copias atque etiam equites cornibus jungi, itaque speciem dari duplicationis sine duplicandi accessione censeant. Duplicanda est longitudo, quoties aut superare cornu hostium volumus, aut ne nostrum superetur, cavemus. Altitudinem duplicare solemus, addita secunda decuria primæ, ita ut se- B cundæ præfectus pone primæ præfectum proximum collocetur, secundus secundæ, quartus primæ constituatur, & tertius secundæ, sextus primæ ordinetur: ac deinceps ad hunc modum, ut tota secunda decuria primæ inseratur, & quarta simili ratione in tertiam: & omnes numero pares decuriæ in impares, vel his eisdem decuriis paribus per evolutionem adjunctis tergo imparium. Aut igitur duplicanda est altitudo, ut numero eodem servato, milites sese longiùs porrigant, quatenùs suæ versum, & spatium altitudinis duplicent: cum autem restitui oportuerit, aut interjectos adjunctosve tergo milites illos in suas decurias revocabimus, aut spatia coarctabimus, quæque intervallo auximus laxiore.

Transversa est phalanx, quæ longitudine multò productiore constat, quàm altitudine. Arrecta est, quæ per cornu progreditur, longè productiore altitudine constans, quàm longitudine, omninòque plus longitudinis, quàm altitudinis habeat: oblongum id consuevimus nominare. Arrectum verò è directo, quod plus altitudinis, quàm longitudinis habeat: quocirca phalangem quoque interpretari C licet his eisdem nominibus. Obliqua est, quæ alterum cornu, quod libuerit, propinquum objiciens hostibus, eoque decertans, alterum semotius teneat, manens aggrediendi opportunitatem. Intercalatio est, cum intervallis præpositi militis, inserimus per directum aliquos ex his, quos postponi placuerat. Præpositio est, cùm vel ex utaque parte aciei, vel ex altera tantùm fronti præponimus aliquos ratione auxilii. Impositio est, cum levem armaturam intervallis alternatim phalangis totius inserimus. Postpositio seu subjectio est, cum levem armaturam phalangi incurvæ postponimus, ita ut forma omnium copiarum portæ triplicis speciem præferat.

Sequitur, ut quemadmodum ordines converti ex suo loco, suæque instructioni restitui debeant, doceamus. Cum itaque ordines converti in hastam assuescere volumus, præcipitur decuriam dextri extremi quiescere: cæteras omnes per singulas declinare in hastam, dextrorsumque procedere, tum reddere in arrectum: deinde juga posteriora colligere, atque ita densato milite converti in hastam. Quo facto, si restitui suum in locum placuerit, jubebimur im- D mutari ad scutum, hoc est, quemque in locum vergere aversum, tum ordinem totum reverti, hoc est, quemadmodum milite obdensato conversus spectavit dextrorsum, ita totum transferri in locum, unde converti incœperat. Mox decuriones quiescant, reliqui procedant per juga. Deinde immutentur, ut vergant, quorsum principio spectabant, tum decuria dextri extremi quiescat. Hæc enim suum jam obtinet locum, reliquæ omnes ad scutum declinent, & procedentes restituantur. Ad postremum sursum præcipitur. Itaque suum quisque recipit locum, & servat. At si convertere ordinem ad scutum velimus, præcipitur decuriam lævi extremi quiescere: hæc enim suam jam habet positionem, reliquos omnes declinare in scutum, sinistrorsumque procedere, tum reddere in arrectum. Deinde juga posteriora colligere, mox ad scutum converti, ut jam actum sit quod voluerimus, hinc restituere placet non secus, quàm illos in hastam conversos restituemus: quippè qui rursus quemque in hastam immutari præcipiamus, deinde ordinem reverti, mox decuriones quiescere, & reliquos omnes procedere per juga, tum immutari, postmodum decuriam lævi extremi quiescere, utpotè suum jam locum obtinentem: E reliquas declinantes in hastam procedere, dum justa recipiant intervalla, ad postremum reddere in arrectum: atque ita omnes suum locum recipient. Si autem inflectere in hastam placuerit, duas simul conversiones ordinis faciemus. Itaque efficietur, ut decuriones à prospectu adverso in aversum per ordinis immutationem transeant. At cum restituere volumus, præcipitur item ad hastam inflectere, hoc est duas item conversiones ibidem ordinibus dare. Ita enim fit, ut eodem spectent decuriones, quorsum principio constituti spectabant, antequam ulla inflexio fieret. Hæc cum fecerimus, decuriones quiescere præcipiemus, reliquos immutatos juga relaxare posteriora: tum rursus mutari, & ordinis postremam decuriam dextram quiescere. Jam enim hæc suum in locum restituta est, reliquos declinantes in scutum procedere, & suis intervallis restitui, mox reddere in arrectum. Itaque ordines primum suumque locum recipient. Sed si inflectere ad scutum velimus, præceptis utemur contrariis, hoc est, bis inflecti in scutum: quo facto, restitutionem agemus, quod ex his, quæ modo exposui, apertum jam est. Deflexio agitur, cum ordi- F nem ter partem versus eandem convertimus, hoc est, aut in hastam, aut in scutum: facit porrò inflexio in hastam, ut militum ora transferantur è parte primore ad posteriorem. Deflexio autem facit, ut à primore vel ad lævam deveniant, vel ad dextram: nam si ad hastam deflectitur, in lævam transfertur: si ad scutum, in dextram. Si phalangem densari cornu versus dextrum placuerit, præcipiemus decuriam cornu dextri quiescere, reliquas autem declinari in hastam, atque in dextram colligere, tum reddere in arrectum, & juga posteriora colligere. Cum autem restituere libet, quiescere decuriones, reliquos immutari, & juga relaxare posteriora. Deinde rursus mutari, mox decuriam cornu dextri quiescere. Jam enim restitutum in dextro est: reliqui ad scutum declinantes suos duces sequantur, & primis intervallis receptis reddant in arrectum. Si autem cornu versùs sinistrum densari phalangem libuerit, præceptis è contrario utemur. Mediam item phalangem, si densari placuerit, præcipiemus dextram duplarem phalangem declinare ad scutum, lævam ad hastam, tum procedere mediam versùs phalangem, mox omnes reddere in arrectum, juga- G que posteriora colligere. At si phalangem primis instituere locis velimus, præcipitur immutari, & per juga procedere, excepto primo: tum omnes rursus mutari, & dextram duplarem phalangem declinare in hastam, lævam autem in scutum: mox sectari suos ductores, donec ad prima deveniet intervalla. Deinde reddere in arrectum. Sed quoties immutatur, si per densationem agitur, erecta teneri spicula omnia, ne impediant, convenit. Iis eisdem exercitiis ac præceptis levis quoque armatura instituenda erudiendaque est. Sunt certè præcepta hæc Immutationum, Conversionum, Inflexionum, Evolutionum, & Restitutionum, utilia ad subitos hostium superventus, quos vel à latere vel à fronte intulerint. Macedonicam evolutionem Macedones invenisse proditum est. Laconicam ad Lacedæmonios referunt auctores, quo circa ita nuncupari meruerunt; Philippum tamen, qui Macedonum imperium auxit, & Græcis apud Cheroneam profligatis, Græciæ imperavit, ac ejus filium Alexandrum, qui brevi Asiam in suam ditionem redegit, Macedonicam neglexisse evolutionem legimus, ut nisi summa utendi necessitas cogeret, nunquam uterentur. Laconi- H cæ usu utrumque adversarios devicisse ferunt. Datur enim Macedonicæ vitio, quòd hoste repente à tergo superveniente, non sine magna turbatione ageretur. Nam cum posteriores converterent sese in locum priorem, & rem haudquaquam fugæ dissimilem facerent, hostes audaciores reddebantur, & jam milites, qui ita evolvissent, deterrere ac persequi poterant. Laconica certè contrario agit. Ubi enim duces unà cum sequente milite verterunt sese obvios in hostem à tergo supervenientem, terrorem inferre nimirùm possunt & turbationem. Sed assuefaciendæ sunt copiæ, tam pedestres, quàm equestres, partim voce, partim signis, quæ visu percipi valeant, ut rem aptè ac opportunè, quàm quisque exigat usus, possit expedire. Nonnulla etiam turbę præcipi convenit. Ita enim pleniùs omnia ministrabantur. Certiora sunt ea, quæ voce indicantur, nisi quid sit impedimento. Sed tranquilliora, quæ signis mandantur, videlicet cum res nulla est, quæ obstet atque obscuret. Vox autem percipi interdum non potest, aut propter armorum sonitum, aut propter equorum transitum & hominum, aut propter impedimentorum tumul-

A tumultum, & totius multitudinis strepitum, Signa quoque multis rationibus obliterari possunt, ac evanescere; nam & crassitudine aeris, & pulvere excito, & umbra, & solis splendore opposito. Ad hæc locorum inæqualitate, & frequentia arborum. Adde, quòd interdum fieri non potest, ut signum ad unumquemque usum præparemus, cum longè plura possint occurrere, quàm quibus assuefacti sint milites: Novis autem rebus quidnam consueti signi afferatur? Non tamen concidi ita potest, ut præceptum simul & vocis & signi incertum sit.

De itineribus.

Nunc de itineribus dicam, si ante, quot modis expediri solet iter, definiam. Itinerum aliud arrecta inductio est: aliud deductio, aut dextra, aut læva, & aut simplici, aut duplici latere, aut triplici, aut quadruplici agminis procedetur, Simplici, cum ex parte una adversarium aggressurum suspicamur: duplici, cum ex duabus: triplici, cum ex tribus: quadruplici, cum undique. Undique fit, ut aut ter,
B aut simplici phalange agatur, aut duplici, aut triplici, aut quadruplici. Arrecta inductio est, cum ordo ordinem sequitur. Verbi gratia, quum vel xenagia præcedente reliquæ sequuntur xenagiæ, vel quadruplarem decuriæ reliquæ ordinatim sectantur. Item quæ agitur per cornu altitudine longè productiore, quàm longitudine: nec pluribus, quàm duabus decuriis, hominibus denis compositis constet ordo. Huic opponitur genus aciei, quod Cœlembolum, quasi rostrum cavum nominamus: quod ita instruitur, ut duplicatę phalangis precedentia cornua inter se distent, sequentia jungantur, ad formam litteræ V. sicut descriptio ostendit. Quæ ut primos disjectos, ita junctos inter se habet ultimos. Cum enim arrecta illa inductio medium adversariorum petat, habet id cavum rostrum in promptu, ut soluta conjunctione extremorum, impetum copiarum primarum frustretur, lateraque invadat arrectæ inductionis inimici. Quin etiam triplex phalanx objici huic eidem generi ita potest, ut una alterius cornu impugnet, secunda reliquum cornu aggrediatur, media & tertia impetum maneat, &
C conflictum.

Arrecta instructio. pp



Deductio est, cum phalanx suos duces, hoc est, decuriones aut parte dextra habet deducentes, quæ dextra deductio dicitur: aut læva, quæ deductio læva nuncupatur: non item per decuriam, sed per juga ambulans, cornu præposito, & latere instructa, aut duplici, aut triplici, aut etiam quadruplici, prout hostem existimat aggressurum. Sed quasi utra-
D que phalangis pars suo latere conflictum incat primum, ita describatur, ut longitudinem triplicem, quàm altitudinem habeat. Frons enim X. altitudo tribus constat hominibus. Quamobrem miles non tantùm ex directo, verùm etiam latere aggressus, conflictum tum excipere tum inferre, nimirùm per exercitationem debet condiscere.

Arrecta deductio læva.	Arrecta deductio dextra.
ddd	ddd
ddd	ddd
ddd	ddd
Fddd	dddF
rddd	dddr
oddd	dddo
nddd	dddn
sddd	ddds
ddd	ddd
ddd	ddd
ddd	ddd

Phalanx, quæ antistomus à duplici frontis, seu oris objectu, quasi occeps, vocata est, ita instruitur, ut medii tergis ter sese oppositis constent, extremi autem conflignt cum adversariis. Perutilis hæc pedestribus copiis est, cum adversus largam hostium equestrem copiam dimicant: meliùs enim resistunt circumventioni, & multiplici equitum invasioni. Valet hoc instruendi genus potissimùm contra barbaros, qui loca Istro amni vicina incolunt, quos amphippos cognominant, à mutatione equorum; ex aliis enim equis in alios transilire consuerunt. Equestres, quæ opponuntur copiæ, forma constantes quadrata, in ordines duos parte altera longiores, pro usus necessitate divisæ sunt, ut totidem membris phalangis peditum bipartitæ objiciantur.

Equestris instructio.



Equestris instructio.

Phalanx amphistomus, nomen à duplici fronte, sive ore in lateribus instituto acceperat, ita ut latericeps quædam & anceps posset nominari. Similis superiori occipiti est, præterquàm quòd illa suis extremis decertat, hæc suis lateribus dimicat. Cætera verò, quæ de superiore exposui, huic quoque conveniunt: omnia hastis longioribus, tam hæc quàm superior illa pugnat, more Analorum & Sauromatarum. Spectat decuriarum dimidium in partem priorem, reliqui conversi sunt in posteriorem, ita ut dimidiati milites oppositis inter se tergis prælientur fronte duplici, altera priore quàm decuriones conficiant: altera posteriore, quàm tergiductores: cum etiam in duplarem phalangem copiæ dividi possunt, ut frons prior altera constituatur phalange, posterior altera constet.

Phalanx anceps.



Phalanx duplaris antistomus, hoc est, occeps, nuncupatur, quæ suos duces non extra per deductiones, sed intùs adversos inter se positos habeat: tergi autem ductores extra, videlicet in dextram lævamque deductionem distinctos. Forma hæc instrui solet, quoties adversarii equites forma rostri aggrediuntur. Cum enim rostrum exeat in mucronem, ducesque sequentes de latere habeat, tentantesque frontem copiarum pedestrium rumpere, ne id eveniat, duces peditũ in medio stant, ut impetum adversariorum vel impediant, vel re infecta

A fecta faciant præterire. Qui enim rostro instructi aggrediuntur, ea spe sunt, ut medios aciei profligant, omnesque turbent copias. Quod cùm Principes copiarum pedestrium intelligant, utraque parte sese veluti murum constituunt, & paulò inter se distantes, vergentesque ad locum penitiorem, impetum irritum reddunt adversariorum. Genus id instruendi equestre, quod nostrum dicimus, Philippum Regem Macedonum invenisse, scribitur. Præponere ille strenuos omnes solebat, ut eorum virtute miles quoque deterior contineretur, opusque unà cùm præstantioribus prosequeretur, more spiculi aut ensis, cujus acie pro sua soliditate, suoque acumin, facilè transadigente, reliquum etiam ferrum, quanquam hebes esset, non sine efficacia penetraret.

Phalanx duplaris occipes.

Rostrum equestre.

Phalanx duplaris Peristomus seu Amphistomus, id est latericeps sive anceps, illa est, cujus partes per deductionem cornu præposito obliquè procedant, & dextra habeat præfectos, & læva tergiductores intùs. Cùm enim adversa acies quadra dividat se in duo obliqua cornua, dextrum & sinistrum, cupiens aciem hostium similem circumvenire, hac de causa, qui circumventum sibi vident imminentem, in duplicem mobilem phalangem sese efformant, & partem sui alteram in lævum dirigunt cornu, alteram vertunt in
C dextrum. Unde nomen Peristomi, hoc est, latericipitis, genus id accipit. Quippè quod latere suo utroque spectantem in hostem habeat.

Phalanx duplaris latericeps

Amphistomus.

D

Similiceps.

Phalanx homœostomus, à similitudine oris seu frontis nominata, quam similicipitem appellarim, ita fit, ut decuriam perfectam, hoc est, hominum sexdecim, moventem in hostem sequatur alia similis: unde homœostomus dicta est. Nam & qui sequuntur, similis fronte, & forma comitantur. Opponitur hæc generi aciei, quod plinthum è latere vocant: quem, si placet, Laterculum dices. Ordinatur id genus tam forma, quàm numero æqualterum. Forma inquam cum undique æqualibus constet spatiis. Numero autem cum quot hominibus longitudo componatur, totidem etiam altitudo. In hoc eodem ordinis genere omni ex latere armatos apponi solitum est, nullo vel saggitario, vel funditore adjuncto. Conficitur hic laterculus ex duabus dimœriis: E decuriæ namque dimidium dimœriam dicimus. Cùm enim decuria sexdecim constare hominibus debeat, dimœria octo constat. Bipartia id interpretatur, si placet, quoad melius vocabulum invenerimus.

Phalanx similiceps.

p p p p p p p p p p p
p p p p p p p p p p p

Frons.

p p p p p p p p p p p
p p p p p p p p p p p

Frons.

Laterculus.

Phalanx duplaris Homœostomus, cùm partes æquali progredientes itinere, aut in dextra deductione ambæ continent suos duces, aut in læva.

Duplaris similiceps.

ddd	ddd
ddd	ddd
ddd	ddd
ddd	ddd
ddd	ddd
ddd	ddd
ddd	ddd

Phalanx Heterostomus, à frontis diversitate appellata, quam Versicipitem dixerim, ita instruitur, ut ambulans per inductionem duces ordinis præcedentis habeat (ut fit) in dextra ductione, sequentis autem in læva, ita ut ordines alternata principum locatione procedant. Nullus enim eodem latere suos continet principes, quo antecedens.

Phalanx versiceps.

d	d
d	d
d	d
d	d
d	d
d	d
d	d
d	d
d	d
d	d
d	d
d	d

Turmam, quæ ad speciem ovi instruitur, Ilion Thessalus excogitarat, unde Ile vocata est, suosque Thessalos eo ipso genere instruendi exercuit. Utile hoc est, cùm singulis suis angulis habeat principes. Primum Ilarcham, hoc est, turmæ præfectum, ultimum tergiductorem, utrinque autem lateris custodes. Opponitur huic acies, quæ forma lunæ cornibus in partem ductis priorem formetur, ducesque suis in cornibus habeat, & suis brachiis circumire adversas equitum copias tentet. Quamobrem illæ more Tarentinorum à longè jaculantur, & circularem retorquentes accessum & turbantes. Tarentinos jaculatores appello, sicut inter initia operis dictum est, à Tarento Calabriæ oppido, cujus equites parvo quodam jaculo uti consueverunt, &c.

ROMANORUM.

Nazarius Orat. in Constantinum Aug. Ratio disponendi

A exercitus docuit illum mente perdita implicatoque consilio, cùm eum pugnæ locum caperet, ut interclusa fuga morienti necessitatem imponeret, cum spem victoriæ non haberet: quod quidem Imperatori nostro optandum largiter fuit, qui hoc uno maximè offenditur, si certamen lubricum faciat spes prompta fugiendi, relaxaverit acies, aut frons impulsa titubaverit, fiducia manuum ad pedes migrat; non amat Imp. bella, nisi fruentem hostem in gradu suo præcisa fuga teneat, ut aut ferro concidat, aut miseratione servetur. *Cap.28.*

Idem ibidem. Ultra quàm visus agi possit, extensa acies pertinebat, non quo frons imbecilla tractatu invalido duceretur; sed tanta subsidiorum atque ordinum confirmatione, ut acies non porrectior, quàm robustior, murum utrinque præberet; quòd eam nec constipatio contraxisset, nec longitudo tenuaret. *Cap.28. in fine.*

Vegetius. Nunc qualiter instruenda sit acies, si pugna imminet, declaretur unius legionis exemplo, quod si usus exegerit, transferri possit ad plures. Equites locantur in cornibus. Acies peditum à prima cohorte incipit ordinari B in cornu dextro. Huic cohors secunda conjungitur. Tertia cohors in media acie collocatur. Huic annectitur quarta. Quinta verò cohors sinistrum suscipit cornu. Sed ante signa, & citra signa, nec non etiam in prima acie dimicantes, principes vocantur, hoc est, ordinarii cæterique principales. Hæc erat gravis armatura, qui habebant cassides, cataphractas, ocreas, scuta, gladios majores, quos spathas vocant, & alios minores, quos semispathas nominant, plumbatas quinas positas in scutis, quas primo impetu jaciunt. Item bina missilia, unum majus, ferro triangulo, unciarum novem, hastili pedum quinque & semis, quod pilum vocabat, non spiculum dicitur, ad cujus jactum præcipuè exercebantur milites; quod arte & virtute directum, & scutatos pedites, & loricatos equites sæpè transversabat: aliud minus, ferro triangulo unciarum quinque, hastili trium pedum & semis, quod tunc verriculum, nunc verutum dicitur. Prima acies principum: secunda hastatorum, armis talibus docetur instructa. Post hos erant ferentarii, & levis armatura, quos nunc auxiliatores, & armaturas dicimus: & scutati plumbatis vel gladiis & missilibus accincti, sicut C nunc omnes propè milites videntur armati. Erant item sagittarii cum cassidibus, cataphractis & gladiis, sagittis & arcubus. Erant funditores, qui ad fundas vel fustibalos lapides jacebant. Erant tragulatii, qui ad manubalistas vel arcubalistas dirigebant sagittas. Secunda acies similiter armatur: in qua consistentes milites, hastati vocabantur. Sed in secunda acie, dextro cornu, cohors sexta ponebatur, cui jungebatur septima. Octava cohors mediam aciem tenebat, nona comitante. Decima cohors in secunda acie sinistrum semper obtinebat cornu. *Cap.15. Lib. de re militari.*

Quemadmodum triarii vel centuriones armentur.

Post omnes autem acies, triarii cum scutis, cataphractis & galeis ocreati cum gladiis, semispathis, plumbatis & binis missilibus locabantur, qui genu posito subsidebant, ut si prima acies vinceretur, ab his quasi de integro reparata pugna posset sperari victoria. Omnes autem signarii vel signiferi, quamvis pedites, loricas minores accipiebant, & galeas ad terrorem hostium ursinis pellibus tectas. Centuriones verò habebant cataphractas, scuta, & galeas ferreas; sed transversis & argentatis cristis, ut faciliùs agnoscerentur à D suis. *Cap.XVI.*

Commissa pugna gravem armaturam stare pro muro.

Illud autem sciendum est, & modis omnibus retinendum, quòd commisso bello, prima ac secunda acies stabant immotæ. Triarii quoque residebant: ferentarii autem & levis armatura, scutatores, sagittarii, funditores, adversarios provocabant ante aciem procedentes: si hostes fugare poterant, sequebantur: si eorum virtute ac multitudine premebantur, revertebantur ad suos, & post eos stabant. Excipiebat autem prælium gravis armatura, quæ tanquam murus (ut ita dicam) ferreus stabat: non solùm missilibus, sed etiam gladiis cominùs dimicabat. Et si hostes fugasset, non sequebatur gravis armatura, ne aciem suam ordinemque turbaret, & ad dispersos recurrentes hostes, incompositos opprimeret: sed levis armatura cum funditoribus, sagittariis, & equitibus, fugientes sequebantur inimicos. Hac dispositione atque cautela sine periculo legio vincebat, aut superata servabatur incolumis, quia jus legionis est, faciliè nec fugere nec sequi. *Cap.XVII.*

Nomina militum, & gradibus in scutis eorum adversis E *scribenda.*

Sed ne milites aliquando in tumultu prælii à suis contubernalibus aberrarent, diversis cohortibus diversa in scutis signa pingebant: ut ipsi nominant *Σήματα*, sicut etiam nunc moris est fieri. Præterea in adverso scuto uniuscujusque militis, litteris erat nomen ascriptum, addito, ex qua esset cohorte, quave centuria. Ex his ergo apparet, legionem benè instituram, quasi minutissimam esse civitatem, quæ omnia prælio necessaria secum ubique portaret; nec metueret repentinum hostium supervenium, quæ etiam in mediis campis subitò fossa valloque muniretur, quæ omne genus militum, omne genus contineret armorum. Si quis igitur pugna publica superare Barbaros cupit, ut divinitùs nutu, dispositione Imperatoris invicti reparentur, ex tyronibus legiones votis omnibus petat. Intra breve autem temporis spatium, juniores diligenter electi & exercitati quotidie, non solùm manè, sed etiam post meridiem omni armorum disciplina vel arte bellandi, veteres illos milites, qui orbem terrarum integrum subegerunt, facilè coæquabunt. Nec moveatur Cæsar, tua majestas, quòd olim consuetudo est P mutata, quæ viguit: hujus fœlicitatis ac provisionis est perennitas tua, ut pro salute reipublicæ & nova excogitet, & antiqua restituat. Omne opus difficile videtur, antequam tentes: cæterùm si exercitati, & prudentes viri delectui præponantur, celeriter manus bellis apta poterit aggregari & diligenter institui. Quidvis enim efficit solertia, si competentes non denegentur expensæ. *Cap.XVIII.*

De camelis & cataphractis equitibus.

Vegetius. Camelos aliquantæ nationes apud veteres produxerunt in aciem, ut Ursiliani in Aphrica. Macetes hodieque producunt. Sed hoc genus animalium arenis & tolerandæ siti aptum, confusas etiam in pulvere vento vias absque errore dirigere memoratur. Cæterùm præter novitatem, inefficax bello est. Cataphracti equites propter munimina quæ gerunt, à vulneribus quidem tuti, sed propter impedimentum & pondus armorum, capi eos facile est, quoniam frequenter obnixi contra dispersos pedites, quàm contra equites, in certamine meliores tamen sunt, aut ante legiones positi, aut cum legionariis mixti: quando cominus (hoc est manu ad manum) pugnatur, acies hostium sæpè G rumpunt. *Cap.XXIII.*

Quomodo quadrigis falcatis, vel elephantis in acie possit obsisti.

Quadrigas falcatas in bello rex Antiochus & Mithridates habuerunt. Quæ ut primò magnum intulere terrorem, ita postmodum fuere derisui. Nam difficilè currus falcatus planum semper invenit campum, & levi impedimento retinetur: unoque afflicto aut vulnerato equo decipitur. Sed maximè hac Romanorum militum arte perierunt. Ubi ad pugnam ventum est, repente toto campo Romani tribulos abjecerunt, in quos currentes quadrigæ cùm incidissent, deletæ sunt. Tribulus autem est quatuor palis confixum propugnaculum, quod quomodo abjeceris, tribus radiis stat, & erecto quarto infestum est. Elephanti in prælius magnitudine corporum, barritus horrore, formæ ipsius novitatè, homines equosque conturbant. Hos contra Romanum exercitum primus in Lucania rex Pyrrhus eduxit. Posteà Hannibal in Aphrica, Rex Antiochus in Oriente, Jugurtha in Numidia copiosos habuerunt, adversus quos diversa excogitata sunt genera armorum. Nam & Centurio in Lucania gladio H manum (quàm promuscidem vocant) uni abscidit, & bini cataphracti equi jungebantur ad currum, quibus insidentes clibanarii, fariscs, hoc est, longissimos contos in elephantos dirigebant. Nam muniti ferro, nec à sagittariis, quos vehebant bellucæ, lædebantur, & earum impetum equotum celeritate vitabant. Alii contra elephātos, cataphractos milites immiserunt: ita ut in brachiis eorum, & in cassidibus, vel humeris, aculei ingentes ponerentur è ferro, ne manu sua elephas bellatorem contra se veniente posset apprehendere. Præcipuè tamen Velites antiqui adversum elephātos ordinarunt. Velites autem erant juvenes, levi armatura, & corpore alacri, qui ex equis missilia optimè dirigebant. Hi equis prætercurrentibus ad latiores lanceas, vel majora spicula, belluas occidebant; sed crescente audacia, posteà collecti, plures milites pariter pila, hoc est, missilia, in elephantos congerebant, epsque vulneribus elidebant. Illud additum est, ut funditores eū fustibulis & fundis, rotundis lapidibus destinaris, illos (per quos regebātur elephanti) cum ipsis turribus affligerent atq; mactarent, quo nihil tutius invenitur. Præterea venientibus

belluis,

A belluis, qua irrupissent aciem, spatium milites dabant. Quæ cum in agmen medium pervenissent, circumfusis undique armatorum globis, cum magistris absque vulneribus capiebantur illæsæ: Carrobalistas aliquantò majores (hæ enim longiùs, & vehementiùs spicula dirigunt) superpositas curribus, cum binis equis aut mulis post aciem ordinari convenit, ut cum sub jactum teli accesserint bestiæ, sagittis balistariorum transfigantur. Latius tamen contra eos, & firmius præfigitur ferrum, ut in magnis corporibus majora sint vulnera. Adversum elephantos plura exempla, & machinamenta retulimus, ut si quando necessitas postulaverit, sciatur, quæ sint tam immanibus belluis opponenda. *Cap. 25. lib.3. de re militari.*

Ratio podismi, quantum spatium in acie inter singulos homines in longum, vel in latum inter singulos ordines debeat custodiri.

Ex Vegetio.

Explanato autem, qualiter debeat instrui acies, nunc podismum mensuramque ipsius ordinationis exponam. In mille passibus campi, una acies mille sexcentos sexaginta sex B suscipit pedites: propterea quia singuli pugnatores ternos occupant pedes. Quòd si sex acies in mille passibus campi volueris ordinare, novem millia nongenti nonaginta sex pedites sunt necessarii. Si autem in ternos ordines hunc numerum volueris tendere, duo millia passuum comprehendes. Sed melius est plures acies facere, quàm militem spargere. Senos autem pedes à tergo inter singulas acies in latum diximus interpatere debere, & ipsi bellatores stantes singulos obtinent pedes. Ideòque si sex acies ordinaveris, quadraginta & duos pedes in latum, & mille passus in longum 10000. hominum tenebit exercitus. Si autem in ternos ordinare volueris, 21. pedes in latum, & duo millia passuum in longum 10000. tenebit exercitus. Ad hanc rationem sive 20000. sive 30000. peditum fuerint juxta mensuram podismi, sine aliqua dubitatione difficultatis poterunt ordinari; nec dux fallitur, cum sciat, qui locus quantos capere possit armatos. Denique si angustior locus sit, vel multitudo sufficiat, jam inde novem vel amplius acies ordinari convenit. Magis enim expedit, ut conferti pugnent, quàm longius separati à suis. Nam si nimium fuerit acies attenta, citò ab C adversariis facta impressione perrumpitur, & nullum postea potest esse remedium. Qui autem numeri in dextro cornu, qui in sinistro, qui in medio debeant ordinari, vel juxta dignitates eorum servatur ex more, vel certè pro qualitate hostium commutatur. *Cap.15.*

De equitibus ordinandis.

Constructa acie peditum, equites ponuntur in cornibus, ita ut loricati omnes, & contati juncti sint peditibus. Sagittarii autem, vel qui loricas non habent, longiùs evagentur. A fortioribus namque equitibus, peditum protegenda sunt latera, & à velocioribus atque expeditis, hostium cornua superfundenda atque turbanda sunt. Scire dux debet, contra quos grumos, hoc est, globos hostium, quos equites oporteat poni. Nam nescio qua occulta ratione, imò penè divina, alii contra alios dimicant meliùs, & qui fortiores vicerant, ab inferioribus sæpè vincuntur. Quòd si equites impares fuerint, more veterum velocissimi cum scutis levibus pedites ad hoc ipsum exerciti iisdem miscendi sunt, quos expeditos velites, quasi volitantes, nominabant. Quo facto quamvis fortissimi hostium venerint equites, tamen adver- D sus mixtum agmen pares esse non possunt. Unum hoc remedium duces veteres invenerunt, ut assuefacerent juvenes currentes egregiè, & inter binos equites, singulos ex his pedites collocarent, cum levioribus scutis, gladiis atque missilibus. *Cap.16.*

De subsidiis, quæ post aciem collocantur.

Sed optima ratio est, & ad victoriam plurimùm confert, ut lectissimos de peditibus, & equitibus, cum vicariis, comitibus, tribunisque vacantibus, habeat dux post aciem in subsidiis præparatos: alios circa cornu, alios circa medium, ut ficubi hostis vehementiùs insistit, ne rumpatur acies, provolent subitò, & suppleant loca: additaque virtute, inimicorum audaciam frangant. Hoc primi Lacones invenerunt: imitati sunt Carthaginenſ. Romani postea ubique servaverunt. Hac dispositione nulla melior invenitur. Nam directa acies hoc solùm agere debet, si potest, ut hostem repellat, aut fundat. Si cuneus sit agendus, aut forfex, superfluos habere debet post aciem, de quibus cuneum aut forficem facias: si ducenda sit serra, item ex abundantibus ducetur: nam si de loco suo ordinatum militem transferre cœperis, universa turbabis. Si globus hostium superatus, aut E alam tuam, aut partem aliquam urgere cœperit, nisi superfluos habeas, quos contra globum possis opponere, sive pedites, sive equites de acie tuleris, dum alia vis defendere, alia periculosius denudabis. Quòd si bellatorum tibi copia non abundat, melius est aciem habere breviorem, dummodò in subsidiis colloces plurimos. Nam circa medias partes campi, ex peditibus benè armatis debes habere lectissimos, de quibus cuneum facias, & statim aciem hostium rumpas. Circa cornua autem de contatis loricatisque equitibus ad hoc reservatis, & levi armatura peditum, alas hostium circumvenire te convenit. *Cap.17.*

In quo loco primus dux stare debeat, in quo secundus, in quo tertius.

Dux qui præcipuam sustinet potestatem inter equites & pedites, in parte dextra stare consuevit. Hic enim locus est, in quo tota acies gubernatur, ex quo rectus est liberque procursus. Ideò autem inter utrosque consistit, ut & consilio regere, & auctoritate, tam equites, quàm pedites ad pugnam possit hortari. Hic de equitibus supernumerariis, mixtis peditibus expeditis, adversariorum sinistrum cornu, quod F contra ipsum stat, circuire, & à tergo semper urgere debet. Secundus dux in media acie ponitur peditum, qui eam sustentet & firmet. Hic fortissimos pedites, & bene armatos de illis superfluis secum habere debet, de quibus aut ipse cuneum faciat, & aciem hostium rumpat: aut si adversarii cuneum fecerint, ipse forficem faciat, ut cuneo illi possit occurrere. In sinistra parte exercitus, tertius esse dux debet, satis bellicosus & providus, quia sinistra pars difficilior est, & velut manca in acie consistit. Ideò bonos equites supernumerarios & velocissimos pedites habere debet, de quibus sinistrum cornu semper extendat, ne circumveniatur ab hostibus. Clamor autem (quem barritum vocant) priùs non debet attolli, quàm acies utraque se junxerit. Imperitorum enim vel ignavorum est, vociferari de longe, cum hostes magis terreantur, si cum telorum ictu clamoris horror accesserit. Semper autem studere debes, ut prior instruas aciem, quia ex arbitrio tuo potes facere, quod tibi utile judicas, cum nullus obsistit: deinde & tuis confidentiam auges, & adversariis fiduciam minuis, quia fortiores videntur, qui provocare non dubitant. Inimici autem incipiunt formi- G dare, qui vident contra se acies ordinari. Huic additur maximum commodum, quia tu instructus paratusque ordinantem & trepidum adversarium præoccupas. Pars enim victoriæ est, inimicum turbare, antequam dimices. *Cap.18.*

Quibus remediis virtuti vel dolis hostium resistatur in acie.

Exceptis supervenientibus vel incursionibus repentinis ex occasione, quam nunquam dux exercitatus amittit. Nam in itineribus, jam fatigatis; in fluminum transgressione, divisis in paludibus occupatis; in jugis montium, laborantibus; in campis sparsis atque securis: in mansione, dormientibus, opportunum prælium semper infertur: cum aliis negotiis occupatus hostis, priùs interimatur quàm præparare se possit. Quòd si cauti sunt adversarii, & insidiarum nulla sit copia, tunc adversus præsentes, scientes, videntes, æqua conditione pugnatur. Tamen ars belli, non minùs in hoc aperto conflictu, quàm in occultis fraudibus adjuvat eruditos. Cavendum vel maximè, ne ab ala, cornuque sinistro (quod sæpiùs evenit) aut certè dextro (quod raro contingit) circumveniantur tui à multitudine hostium, aut à vagantibus globis, quos vocant Grumos. Quod si acciderit, unum H remedium est, ut alam cornuque replices & rotundes: quatenùs conversi tui, sociorum terga defendant. Sed & in angulo ipsius extremitatis fortissimi collocentur, qui ibi impetus amplior fieri consuevit. Item adversus cuneum hostium certis resistit modis. Cuneus dicitur multitudo peditum, quæ juncta cum acie primò angustior, deinde latior procedit, & adversariorum ordines rumpit: quia à pluribus in unum locum tela mittuntur. Quam rem milites nominant caput porcionum. Contra quod ordinatio ponitur, quam forficem vocant. Nam ex lectissimis militibus confertis in V litteram ordo componitur: & illum cuneum excipit, atq; ex utraque parte concludit: quo facto, aciem non potest irrumpere. Item serra dicitur, quæ à strenuis directa, ante frontem opponitur hostibus, ut turbata acies reparetur. Globus autem dicitur, qui à sua acie separatus, vago superventu incursat inimicos, contra quem alter populosior vel fortior immittitur globus. Hoc servandum quoque est, ne sub tempore, quo jam committitur pugna, velis ordines commutare, aut de locis suis aliquos numeros ad alia transferre. Statim enim nasci-

A tur tumultus atque confusio, & impatatis conturbatisque faciliùs hostis incumbit. *Cap.19.l.3. de re militari.*

Scripsit etiam hac de re *Frontinus*, Cneus Scipio in Hispania adversus Hannonem ad oppidum Indibile cum animadvertisset Punicam aciem ita directam, ut in dextro cornu Hispani constituerentur, robustus quidem miles, sed qui alienum negotium ageret: in sinistro autem Afri minùs viribus firmi, sed animi constantioris; reducto sinistro latere, suorum dextro cornu, quod validissimis militibus extruxerat, obliqua acie cum hoste conflixit. Deinde, fusis fugatisque Afris, Hispanos, qui in recessu spectantium more steterant, facilè in deditionem compulit.

Philippus Macedonum Rex, adversus Illyrios gerens bellum, ut animadvertit frontem hostium stipatam electis de toto exercitu viris, latera infirmiora, fortissimis suorum in dextro cornu collocatis, sinistrum latus hostium invasit, turbataque acie tota, victoriam profligavit.

Permenes Thebanus, conspecta Persarum acie, quæ robustissimas copias in dextro cornu collocatas habebat, simili ratione & ipse suos ordinavit, omnemque equitatum B & fortissimum quemque peditum in dextro cornu, infirmissimos autem contra fortissimos hostium posuit, præcepitque, ut ad primum impetum eorum sibi fuga consulerent, & in silvestria confragosaque loca se reciperent: ita frustrato robore exercitus, ipse optima parte virium suarum, dextro cornu, totam circuit etiam hostium, & evertit.

P. Cornelius Scipio, cui postea Africano cognomen fuit, adversus Asdrubalem ducem Pænorum in Hispania bellum gerens, ita per continuos dies ordinarum produxit exercitum, ut media acies fortissimis fundaretur; sed cum hostes quoque eadem ratione assiduè ordinati procederent, Scipio eo die, quo statuerat decernere, commutavit instructionis ordinem, & firmissimos, id est, legionarios in cornibus collocavit, ac levem armaturam in media acie, sed retractatam: ita cornibus quibus ipse prævalebat, infirmissimas hostium partes lunata acie aggressus, facilè fudit.

Metellus in Hispania eo prælio, quo Herculerum devicit, cum comperisset cohortes ejus, quæ validissimæ vocabantur, in media acie locatas, ipse mediam suorum aciem C reduxit, ne ea parte ante cum hoste confligeret, quàm cornibus confligatis, medios undique circumvenisset.

Artaxerxes adversus Græcos qui Persidem intraverant, cum multitudine superaret, latiùs quàm hostes acie instructa, in fronte equitem, levemque armaturam in cornibus collocavit, atque ita ex industria lentiùs procedente media acie, copias hostium cinxit, cæciditque.

Contra Hannibal ad Cannas reductis cornibus, productaque media acie, nostros primo impetu protrusit. Idem conserto prælio, paulatim invicem sinuantibus, procedentibusque ad præceptum cornibus, avidè insequentem hostem in mediam aciem suam recepit, & ex utraque parte compressum cæcidit, veterano & diu edocto usus exercitu: hoc enim genus ordinationis exequi, nisi peritus, & ad omne momentum respondens miles, vix potest.

Livius Salinator & CL. Nero, cum Asdrubal bello Punico secundo decertandi necessitatem evitans, in colle confragoso post vineas aciem direxisset, ipsi reductis in latera viribus, vacua fronte ex utraque parte circumvenerunt D eum, atque ita aggressi superaverunt.

Annibal, quum frequentibus præliis à CL. Marcello superaretur, novissimè sic castra metabatur, ut aut montibus, aut paludibus, aut simili locorum aliqua opportunitate adjutus, aciem eo modo collocaret, ut vincentibus quidem Romanis, penè indemnem recipere posset intra munimenta exercitum, cedentibus autem, instandi liberum haberet arbitrium.

Xantippus Lacedæmonius in Aphrica adversus M. Attilium Regulum levem armaturam in prima acie collocavit, in subsidio autem robur exercitus, præcepitque auxiliaribus, ut emissis telis cederent hosti: & cum se intra suorum ordines recepissent, confestim in latera discurrerent, & à cornibus rursus erumperent, exceptumque jam hostem à robustioribus, & ipsi circuirent.

Sertorius, idem in Hispania adversus Pompejum fecit.

Cleandridas Lacedæmonius adversus Lycaonas densam instruxit aciem, ut longè minoris exercitus speciem præberet: securioribus inde hostibus, in ipso certamine deduxit ordines, & à lateribus circumvenios eos fudit.

Castronius Lacedæmonius, cum in auxilium Ægyptiis E adversus Persas venisset, & sciret, firmiorem esse Græcum militem, magisque à Persis timeri; commutatis armis, Græcos in prima posuit acie, & cum illi æquo Marte pugnarent, submisit Ægyptiorum manum; cum Persæ Græcis, quos Ægyptios opinabantur, restitissent, superveniente multitudine, quam ut Græcorum expaverant, cesserunt.

Cn. Pompejus in Albania, quia hostes & numero & equitatu prævalebant, juxta collem in angustiis protegere galeas, ne fulgore earum conspicui fierent, jussit: equites deinde in æquum procedere, ac velut prætendere peditibus, præcepitque eis, ut ad primum impetum hostium refugerent, & simul ac ad pedites ventum esset, in latera descenderent: quod ubi explicitum est, patefacto loco subita peditum surrexit acies, invectosque temerè hostes, opinato interfusa prælio cæcidit.

M. Antonius adversus Parthos, qui infinita multitudine sagittarum exercitum ejus obruebant, subsidere suos, & testudinem facere jussit, supra quam transmissis sagittis, sine militum noxa exhaustus est hostis.

Hannibal adversus Scipionem in Africa, cum haberet F exercitum ex Pœnis & auxiliaribus, quorum pars non solùm ex diversis partibus, sed etiam ex Italicis constabat; post elephantos 80. qui in prima fronte positi hostium turbarent aciem, auxiliares Gallos & Ligures & Baleares Mauros que posuit, ut non fugere possent, Pœnis à tergo stantibus, & hostem propositi si non infestarent, at certè fatigarent; tum suis & Macedonibus, qui jam fessos Romanos integri excipierent, in summa acie collocatis, novissimos Italicos constituit, quorum & timebat fidem, & segnitiem verebatur, quoniam pletosque eorum ab Italia invitos extraxerat. Scipio adversus hanc formam, robur legionis, tripliciacie in fronte ordinatum, per hastos, & principes & triarios opposuit: nec continuas construxit cohortes, sed manipulis inter se distantibus spatium dedit, per quod elephanti ab hostibus acti facilè transmitti sine perturbatione ordinum possent: ea ipsa intervalla expeditis velitibus implevit, ne interluceret acies, dato eis præcepto, ut ad imperum elephantorum, vel retro, vel in latera concederent. Equitatum deinde in cornua divisit, & dextro Romanis equitibus Lælium, sinistro Numidis Masinissem præposuit: quæ tam G prudens ordinatio, non dubiè causa victoriæ fuit.

Archelaus adversus L. Syllam, in fronte ad perturbandum hostem falcatas quadrigas locavit, in secunda acie phalangem Macedonicam, in tertia, Romanorum more, armatos auxiliares, mixtis fugitivis Italicæ gentis, quorum pernicitati plurimùm fidebat, levem armaturam in ultimo statuit. In utroque deinde latere equitatum, cujus amplum numerum habebat, circumeundi hostis causa posuit. Contra hæc Sylla fossas amplæ latitudinis in utroque latere duxit, & capitibus earum castella communivit; qua ratione, ne circumiretur ab hoste, & peditum numero, & maximè equitatu superante, consecutus est. Triplicem deinde peditum aciem ordinavit, relictis intervallis, per levem armaturam, & equitem, quem in novissimo collocaverat, ut cùm res exegisset, emitteret eum: tum prosignanis, qui in secunda acie erant, imperavit, ut densos numerososque palos firmè in terram defigerent: intraque eos, appropinquantibus quadrigis, ante signa nostram aciem recepit, demùm sublato universorum clamore, velites, & levem armaturam ingerere tela jussit; quibus factis, quadrigæ hostium aut im- H plicitæ palis, aut exterritæ clamore telisque in suos conversæ sunt, turbaverunt que Macedonum instructuram; qua cedente cum Sylla staret, & Archelaus equitem oppositisset, Romani equites subitò emissi, averterunt eos, consummaruntque victoriam.

C. Cæsar Gallorum falcatas quadrigas eadem ratione palis defixis excepit inhibuitque.

Alexand. ad Arbelam, cum hostium multitudinem vereretur, virtuti autem suorum fideret, aciem in omnem partem spectantem ordinavit, ut circumventi, undique pugnare possent.

Paulus adversus Persen Macedonum Regem, cum phalagem suorum duplicem, mediam in partem direxisset, eamque levi armatura cinxisset, & equitem in utroque cornu collocasset, triplicem aciem cuneis instruxit, inter quos subinde velites emisit. Quo genere cum profligari nihil videret, cedere instituit, ut hac simulatione perduceret hostes in confragosa loca, quæ ex industria captaverat. Cum sic quoque suspecta calliditate recedentium, sequeretur ordinata phalanx,

A lanx, equites à sinistro cornu præter ora phalangis jussit transcurrere, citatis equis tectos, ut objectis armis, ipso impetu perfringerent hostium spicula, quo genere telorum exarmati Macedones solverunt aciem, & terga verterunt.

Pyrrhus pro Tarentinis apud Asculum, secundum Homericum versum, quo pessimi in medium recipiuntur, dextro cornu Samnitas Epirotasque, sinistro Brutios atque Lucanos cum Salentinis, in media acie Tarentinos collocavit, equitatum & elephantos in subsidiis esse jussit. Contra Coss. aptissimè divisis in cornua equitibus, legiones in prima acie & in subsidiis collocarunt, & his immiscuerunt auxilia. Utrinque quadraginta millia constat fuisse. Pyrrhi dimidia pars exercitus amissa, apud Romanos quinque millia desiderata sunt.

Cn. Pompejus adversus C. Cæsarem palustri prælio Pharsaliæ triplicem instruxit aciem, quarum singulæ denos ordines haberent in latitudinem. Legiones secundum virtutem cujusque firmissimas in cornibus, & in medio collocavit, spatia his interposita tyronibus supplevit, dextro latere DC. equites: propter flumen Enipeum, quod & alveo suo & al- B luvie regionem impediebat, reliquum equitatum in sinistro cornu cum auxiliis omnibus collocavit, ut inde Julianum exercitum circuiret. Adversus hanc ordinationem Julius Cæsar & ipse triplice acie, dispositis in fronte legionibus, sinistrum latus, ne circuiri posset, admovit paludibus. In dextro cornu posuit equitem, cui velocissimos miscuit peditum, & ad morem equestris pugnæ exercitatos, sed deinde cohortes in subsidio retinuit, ad res subitas; sed dextro latere conversas obliquum, unde equitatum hostium expectabat, collocavit: nec ulla res ad victoriam plus eo die Cæsari contulit; effusum namque Pompeji equitatum inopinato subinde lati excursi averterunt, cædendumque tradiderunt.

Imperator Cæsar Germanicus, cum subinde Catti equestre prælium, in silvas refugiendo, diducerent, jussit suos equites, simul atque ad impedimenta ventum esset, equis desilire, pedestrique pugna confligere, quo genere consequutus est, ne quis non locus ejus victoriam miraretur.

C. Duillius, cum videret graves suas naves mobilitate Punicæ classis eludi, irritamque virtutem militum fieri, ex- C cogitavit manus ferreas, quæ ubi hostilem apprehenderent navem, superjecto ponte, transgrediebatur Romanus, & in ipsorum ratibus cominùs eos trucidabat, *lib.2. cap.3. Strategematum.*

De acie hostium turbanda.

Papyrius Cursor, filius consulis, cùm æquo Marte adversus obstinatos Samnites concurreret, ignorantibus suis, præcepit Spurio Naucio, ut pauci calones, & agasones mulis insidentes, ramosque per terram trahentes, à colle transverso, magno tumultu decurrerent, quibus prospectis proclamavit victorem adesse collegam, ut occuparent ipsi præsentis prælii gloriam; quo facto, & Romani fiducia concitati propulere, propulsi terga vertere.

F. Rutilius Maximus, quarto consulatu in Samnio, omni modo frustra conatus aciem hostium pertrumpere, novissimè hastatos subduxit ordinibus, & cum Scipione legato suo circumivit, jussitque collem capere, ex quo decurri poterat in hostium terga; quod ubi factum est, Romanis crevit animus, & Samnites perterriti fugam molientes cæsi sunt.

Minutius Ruffus Imperator, cùm à Scordiscis Dascisque D premeretur, quibus impar erat numero, præmisit fratrem & paucos equites unà cum æneatoribus: præcepitque, ut cum vidisset contractum prælium, subitus ex diverso se ostenderet, juberetque æneatores concinere; sonantibus montium jugis, species ingentis multitudinis offusa est hostibus, qua perterriti dedere terga.

Attilius Glabrio Cos. adversus Antiochi regis aciem, quam is in Achajam per angustias Thermopylarum direxerat, iniquitatibus loci non irritus tantùm, sed cum jactura quoque repulsus esset, nisi circummissus ab eo Porcius Cato, qui tum tribunus militum à populo factus in exercitu erat, dejectis, jugis Callidromi montis, Ætolis, qui præsidio tenebantur, super eminentem castris regiis collem, à tergo subitus apparuisset; quo facto perturbatis Antiochi copiis, utrinque irrupere Romani, & fusis fugatisque castra ceperunt.

C. Sulpitius Petrejus Cos. contra Gallos dimicaturus, jussit muliones clam in montes proximos cum mulis abire, & inde conserto jam prælio, velut equis insidentes, ostentare se pugnantibus: quare Galli existimantes adventare auxilia Romanis, cessere, jam penè victores.

L. B. Theatr. vit. Human. Tom. I.

Marius circa aquas Sextias cum in animo haberet postera die depugnare adversus Theutonos, Marcellum cum parva manu equitum peditumque noctu post terga hostium misit, & ad implendam multitudinis speciem, agasones lixasque armatos simul ire jussit, jumentorumque magnam partem instratorum cũ centunculis, ut per hoc facies equitatus objiceretur, præcepitq; ut cum animadvertissent committi prælium, ipsi in terga hostium descenderent: qui apparatus tantum terroris intulit, ut aspertimi hostes in fugam versi sint.

Licinius Crassus, fugitivorum bello apud Calamarchum educturus militem, adversus Castum & Canonicum duces Gallorum, duodecim cohortes cum C. Promptino, & cum Quintino Marcio Ruffo legatis post montem circummisit, quæ cum commisso jam prælio, à tergo clamore jam sublato, decurrissent, ita fuderunt hostes, ut ubique fugam pro pugna capesserent.

Marcellus, cum vereretur, ne paucitatem ejus, militum clamor detegeret, simul lixas calonesque, & omnis generis sequelas conclamare jussit, atque ita hostem magni exercitus specie exterruit.

Valerius Levinus adversus Pyrrhum, occiso quodam gre- F gali, tenens gladium cruentum, exercitui utrique persuasit Pyrrhum interemptum. Quamobrem hostes destitutos se ducis morte credentes, consternati à mendacio, se pavidi in castra receperunt.

Jugurtha in Numidia, adversus C. Marium, cum Latinæ quoque linguę usum ei conversatio pristina castrorum dedisset, in primam aciem procurrit, & occisum à se C. Marium tum Latinè clarè prædicavit, atque ita multos nostrorum avertit.

Myronides Athenienſis dubio prælio adversus Thebanos rem gerens, repentè in dextrum suorum cornu prosiliit, & exclamavit, se jam sinistra vicisse; qua re & suis alacritate, & hostibus metu injecto, vicit.

Cræsus prævalido hostium equitatui camelorum gregem opposuit, quorum novitate, & horrore consternati equi, non solùm insidentes præcipitaverunt, sed peditum quoque suorum ordines protriverant, vincendosque hosti præbuerunt.

Pyrrhus Epirotarum rex, pro Tarentinis adversus Romanos, eodem modo elephantis ad perturbandam aciem usus est. G

Pœni quoq; adversus Romanos idem fecerunt frequenter. Volscorum castra, cum prope virgulta silvasq; posita essent, Camillus ea omnia quæ conceptum ignem usque in vallum proferre poterant, incendit, & sic adversarios exuit castris.

M. Crassus, bello sociali eodem modo propè cum copiis omnibus interceptus est.

Hispani contra Hamilcarem boves vehiculis adjunctos in prima fronte constituerunt, vehiculaque tedæ & sepi & sulphuris plena, signo pugnæ dato, incenderunt: actis deinde in hostem bobus, consternatam aciem perruperunt.

Phalisci & Tarquinenses, compluribus suorum in habitus sacerdotum subornatis, faces & angues furiali habitu præferentibus, aciem Romanorum turbaverunt. Idem Vejentes & Fidenates facibus arreptis fecerunt.

Atheas rex Scytharũ, cum adversus amplioré Triballorum exercitum conflig eret, jussit, à fœminis, & pueris omniq; imbelli turba, greges asinorum, ac boum ad postremam hostium aciem admoveri, & erectas hastas præferre: famam deinde diffundit, tanquam auxilia sibi ab ulterioribus Scythis advẽtarent; qua asse veratione avertit hostem, *cap.4. ejusd.21.*

Quemadmodum acies debeat ordinari, ut in conflictu reddatur invicta. H

Idem *Frontinus*: Ordinaturus aciem tria debet ante prospicere, solem, pulverem, & ventum. Nam sol ante faciem erripit visum, ventus contrarius tua inflectit ac deprimit, hostiũ adjuvat tela; pulvis à fronte congestus oculos implet, & claudit. Hęc momento eo, quo acies ordinantur, etiam imperiti vitare solent; sed duci provido cavendum est in futurum, ne post paululùm accedente die noceat Solis mutata conversio, nec ventus adversus hora solita eo pugnante nascatur. Ita ergo constituantur ordines, ut hæc post occipitium nostrum sint, & (si fieri potest) adversariorum impetant faciem. Acies dicitur exercitus instructus: frons quæ adversum hostem spectat. Hæc in publica pugna, si sapienter disponitur, plurimùm juvat: si imperitè, quamvis optimi bellatores sint, mala ordinatione franguntur. Instructionis lex est, ut in primo ordine exercitati, & veteres milites collocentur, quos antea principes vocabant. In secundo ordine circumdati cataphractis, nec non optimi milites cum spiculis vel lanceis ordinentur,

A quos priùs hastatos vocabant. Singuli autem armati in directum ternos pedes inter se occupare consueverunt, hoc est, in mille passibus mille sexcenti sexaginta sex pedites ordinantur in longum: ut nec acies interluceat, & spatium sit arma tractandi. Inter ordinem autem & ordinem à tergo in latum sex pedes distare voluerunt, ut haberent pugnantes spatium accedendi atque recedendi: vehementiùs enim cum saltu incursuque tela mittuntur. In his duobus ordinibus & ætate maturi, & usu confidentes, & muniti etiam gravioribus armis collocantur. Hi enim ad vicem muri, nec cedere, nec sequi alium cogendi sunt, ne ordines turbent: sed venientes adversarios excipere, & stando pugnandoque repellere vel fugare. Tertius ordo disponitur de armaturis velocissimis, de sagittariis juvenibus, de bonis jaculatoribus, quos antea ferentarios nominabant. Quartus item ordo construitur de scutatis expeditissimis, de sagittariis junioribus, de his qui acriter verutis vel martiobarbulis (quas plumbatas nominant) dimicant, qui dicebantur levis armatura.

Sciendum ergo est, stantibus duobus primis ordinibus tertium & quartum ordinem ad provocandum cum missilibus B & sagittis primo loco semper exire. Qui si hostes in fugam vertere potuerint, ipsi cum equitibus persequuntur: Sin verò ab hostibus pulsi fuerint, redeunt ad primam & secundam aciem, & inter ipsas recipiunt se ad loca sua. Prima autem & secunda acies, cùm ad spathas, & ad pila (ut dicitur) ventum fuerit, totum sustinet bellum. In quinta acie ponebantur interdum carrobalistæ, manubalistarii, fundibulatores, funditores. Fundibulatores sunt, qui fustibalis lapides jaciunt. Fustibalus fustis est longus pedibus quatuor, cui per medium ligatur funda de corio, & utraque manu impulsus, propè ad instar onagri dirigit saxa. Funditores sunt, qui fundis ex imo vel setis factis (has enim dicunt esse meliores) contorto circa caput brachio dirigunt saxa. Quibus scuta deerant, sive lapides manu jactis, sive missilibus in hordine dimicabant, quos accensos, tanquam juniores, & posteà additos, nominabant. Sextus ordo post omnes à firmissimis, & scutatis, & omni genere armorum munitis bellatoribus tenebatur; antiqui triarios appellabant. Hi, ut requieti C & integri actiùs invaderent hostes, post ultimas acies sedere consueverant. Si quid enim primis ordinibus accidisset, de horum viribus reparationis spes tota pendebat, *lib.2. cap. 14. Strategem.*

Circumferuntur de eodem argumento hæc,

MONASTICA TROCHAICA.

Agmen an justum est ubi tot lixæ sunt quot milites;
Noli acie certare tota, si minimè est necessitas.
Pulchra occasio adsit necesse, cum certare acie lubet.
Plurimum est si splendet armis acies fulgurantibus.

Item JAMBICA.

Acie instruenda melior est qui cautior.
Acius bifrons usque unifrontem vicerit.
Aciem prior qui struxit, habetur fortior.
Agmen quadratum, ubique agmen tutissimum.
Equites, aciei binæ præstant cornua.
Hostis peritus cuneo occurrit forfice.
Non semper ut vis, acies instrui potest.
Turbata acies impedimento ipsa est sibi.

D * Acolythi.

QUI? EORUM OFFICIUM.

ACOLYTHI Græco nomine significant, pedissequos, assectatores, sive ministros, ab α & κέλευθος. Peculiariter Acolythi sacerdotum ministri seu assecla erant. Nunc in Romana Ecclesia Acolythi dicuntur Ceroferarii, sive qui accensos cereos portant. Ita Isidorus *de div. officiis*, & Rabanus Maurus.

Est autem Acolythorum ministerium in Ecclesia perantiquum, ut cujus meminit Concil. IV. Carthaginense, cui interfuit S. Augustinus; estque Acolythatus, ex minoribus ordinibus unus. Quem qui suscipiunt, debent ex officio deferre cereos in officio divino, quando cantatur Euangelium, ad demonstrandum signum lætitiæ, & lucem illam illuminantem totum mundum, de qua David, Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis, *Psalm.* 118. Alioquin Græcum ἀκόλουθος significat pedissequum sive assecam, ab α particula congregandi, & κέλευθος via; Acolythi enim sive Acoluthi, sunt sacerdotum ministri.

TYPUS. E

Typum Acolythorum gessisse videntur in lege vetere illi, qui in tabernaculo quotidie accendebant lucernas super candelabrum positas. *Levit. cap.* 4.

ORDINATIO.

Concilium Carthag. 4. ita dicit, Acolythus, dum ordinatur, ab Episcopo instruatur, qualiter in officio suo agere debeat. Et ab Episcopo accipit ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Accipiat & urceolum vacuum, ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi.

PLURES IN UNA ECCLESIA.

Cornelius Pontifex & Martyr fatetur in Epistola ad Fabium Antiochenum Episcopum, fuisse tum in illa Ecclesia Acolythos numero 42. *Euseb. lib.6. histor. Eccles. cap.35.*

Ordo Romanus, uti & Ceremoniale, meminerunt in officio divino plurium Acolythorum, qui in sacrificio adsistant, & initiatis majoribus Ordinibus subsetviant, idque in officio solemni. Quid verò iisdem numeris incumbat, videatur idem. F

Acquisitio.

* DEFINITIO & ETYMOLOGIA.

ACQUISITIO, emptio, res acquisita emptione, generatione, educatione, vario labore, & jure quocumque. Hebr. *Miknah*, vel *Mikneh*, à verbo *Kanah*, id est, nactus est, adeptus est, Græc. κτῆσις & προσπορισμός, peculium, à verbo προσπορίζω. Hebræis etiam acquisitio, *Cechusch*, dicitur, à *Kachasch*, quod cum alio verbo convenit, nempè, *Ragasch*, Primum verbum significat acquisivit, collegit facultates: alterum convenit cum tumultu: opes enim non sine dolore, tumultu, labore multiplici congeruntur.

Acquisita res dicitur Hostiensi, vel empta, vel quovis titulo lucrativo habita. *Iacob Spieg. in Lex. Iurid.*

Acquisitum id propriè dicitur, cujus dominium translatum est. *Idem in voce, Acquirere.*

ACQUISITIONIS MODI. G

Theophilus Jurisc. modos acquirendi complectitur, §. fin. per quas personas nobis acquir. *lib.2. Institut. juris civil. tit. 9.* aitque, acquisitiones, aut jurisgentium esse, aut juris civilis. Jurisgentium quidem esse quatuordecim: nempè donationem, hostium spolia, lapillos in littore maris inventos, id est, pretiosas gemmas, animalium nostrorum fœtus, alluviones, insulam in mari aut flumine natam, prædia ad alveum à flumine desertum habere, alienam materiam in eam speciem, quæ in pristinam redire nequeat, mutasse, ex aliena & sua materia speciem fecisse, duorum materias ejusdem vel diversi generis voluntate dominorum aut fortuitò commixtas esse, ex materia aliena in solo suo ædificasse, alienam arborem in suo plantasse, consuevisse in alieno fundo bona fide possesso, thesaurum in suo invenisse.

Civiles autem acquisitiones dicit duplices, vel singularium rerum, & quæ per universitatem: singulares, usucapionem, jus accrescendi, legatum, fideicommissum: per universitatem, quando una quidem res geritur, sed multa nobis H sub uno acquiruntur: tales quatuor sunt acquisitiones, hæreditas, bonorum possessio, arrogatio, libertatum causa, bonorum addictio.

Quæ juris civilis magistri de acquisitione tradiderunt, compendio collegit *Petrus Gregorius in Syntagmate juris universi, part.3. de Actionib. lib.20.*

EXEMPLA HISTORICA.

EORUM QUI ACQUISIVERUNT.

QUOMODO.

Utputa

PETITIONE IMPORTUNA, IMPUDENTI, mendaci. Petaces.

GIEZI minister, cum Helisæus Propheta Naaman Syrum à lepra curasset, donaque nullo modo accipere vellet, quasi à magistro missus, argentum & vestes ab eo accepit. Ideòque lepra, qua Naaman fuerat liberatus, adhæsit illi & semini ejus in sempiternum. 4. *Reg.5. & Marulus lib.1. cap.7.*

Mere-

A Meretrix Ægyptia Archedice ab amatore pro concubitus somnio mercedem exigere non erubuit.

Αἰτωλικῶν dicti sunt olim joco proverbiali, qui juxta mores Ætolorum petaces essent & improbi. Allusum est enim ad vocem. Quemadmodùm avidi munerum Doricè loqui dicebantur: αἰτωλοὶ dicti videntur, quòd omnia petant, παρὰ τὸ λιν αἰτεῖν.. Meminit Stephanus. *Eras. in Adag.*

Ἀττικὸς ὑπέχει τῶν χεῖρα κἀποδίσκων, id est, Atticus porrigit manum, etiam cùm moritur. Huic adagio locum fecit Athenienfium in muneribus captandis, & aucupandis lucris insatiata cupiditas. Unde & *apud Aristoph.* frequens jocus in τὸν δωροδόκοῦντας. Auctor Diogenianus. *Eras. in adag.*

Fracta per bellum Philippo Macedoni clavicula, cùm qui eum curabat, quotidiè omninò postularet aliquid Medicus: Sume, inquit, quantum libet: nam clavem habes. *Plut.*

Philippus Macedo, quum Athenienses, quotquot apud Cheroneam capti fuerant, gratis dimisisset, illi verò etiam vestes stragulasque reposcerent, atque hac de causa Macedones in jus vocarent: risit Philippus, dicens: Quid ? nonnè videntur Athenienses arbitrari, se à nobis talorum ludo B victos esse? Tam civiliter tulit victorum ingratitudinem, qui non solùm gratias non agerent, quòd ipsi & incolumes & gratis fuissent dimissi: verùm etiam criminarentur, quòd non simul & amictus & stragulas redderet, quasi nescirent quale esset jus belli: quasique nihil aliud esset certare armis, quàm certare talis, qui ludus est puerorum. *Plut. in Apoph. Reg. & Imp.*

C. CALIGULA, nata filia, paupertatem, nec jam imperatoria modò, sed & patria conquerens omnes, edixit strenas ineunte anno se recepturum: sterilq; in vestibulo ædium Kalend. Januar. ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus sinu, omnis generis turba fundebat. *Suet. in Calig.*

Libelli in scriniis Othonis Principis reperti sunt à Vitellio centum viginti Prætorianorum, postulantium præmium pro cæde Galbæ, quem unus occiderat. Eos omnes Vitellius, rerum potitus, ut *Tacit. Plut.* tradunt, conquiri jussit, & interfici.

Friderico Barbarossæ Imp. Romæ appropinquanti occurrit Senatus Rom. Legatus, de ipsius erga Imperatorem voluntate & benevolentia summa referens, si more solito ipse C ingrederetur: nempè in curru aureo purpuratus, hostibus, quoscunque Roma haberet, domitis, currumque præcedentibus, & denique senatui xv. argenti librarum millia distribueret: quod nisi præstaret, nullum ei in urbem patere ingressum. Cui rex subridens respondit: Grata quidem promissio, sed cara emptio, cùm hæc vires nostras longè exuperent. Sed magis fortè Romanis consultum fuerit, amicitiæ potiùs nostræ, quàm armorum experimentum capere. Ergo evocato Hadriano Pap. Romanis jurisdictionem omnem ad consules transferre conantibus infenso, armatus ædem D. Petri occupavit, & inauguratus fuit. *Holmodus, Otho Frisingensis l.2. cap.21. de reb. gest. Friderici, & Crantz. l.6. Sax. c.16.*

JACOBUS de Sirk, Episc. Treverensis, princeps Elector, vir magni consilii, sed ad agendam Ecclesiæ suæ potentiam nimis attentatus; Fridericum Cæsarem apud novam civitatem cùm adiisset, & alia atque alia petens impetrasset, sed plura tamen petendo instaret: Si non facis, inquit Imperator, petendi finem, ego certè negandi finem facilè inveniam. *Æn. Sylv. l.2. de gest. Alphonsi.*

D Cùm EQUES quidam, Jo: Calaguritanus nomine, ab hostibus captus, & ab iisdem emissus carcere, Alphonsum Regem adiisset, in solatium calamitatis multa postulavit ab eo, & impetravit. Quo digresso, Rex dixit ad familiares: Dispeream, inquit, ni metui, ne uxorem etiam meam posceret eques meus. *Panorm. l.2. de Alphonsi rebus gestis, & Eras. l.8. Apoph.*

EQUES quidam, cùm subinde ab Alphonso Aragonum Rege munera peteret, & acciperet, omnia profudit, & alia deinde petiit. Cui Rex ait: Si pergam tibi dare quæ petis, citiùs me pauperem effecero, quàm te divitem. *Ibid.*

In aula Ludovici Hungariæ & Boemiæ Regis juvenis, & prodigi, inventum fuit novum rapiendi genus. Ut enim quemque à prima nobilitate, ornatum torque vel catena, vel aurea veste conspexerant Aulici: Regem continuò adibant, impudenter petentes, ut Rex alios decore illorum spoliaret, & aulicos suos adornaret. Nemo sanè erat, quem juvenis Rex de re quavis pretiosa appellaret, quin statim ei donaret. Tunc vestigiò ille domum ad aulicum transferebat. *Dubrav. l.33.*

LIBERALITATE SIMULATA FOENERATORIA. E

☞ *De hac sub Avara δόσει egimus ex professo. Quæ ipsa tamen respectu finis huc potiùs pertinet. Specie liberalis est datio: sed reverà avara acceptio, captatio.*

MAGICA ARTE.

☞ *Ex Tit. Magicorum Miraculorum, item Thesauri inventi, hucquædam.*

SOMNIO.

Macedonii Hypati de avaro quodam in somnio aurum captante, tale extat:

Θεσσαλός τὶς ἀνὴρ ἀφύων δησαυρὸν ὀνείρῳ,
Ἡ Ἕως ἀποδησκεν, πλάσσων ὕπνον ἔχων.
Ὡς δ' ἴδε τὼ φρατέρω σκίσιν μετὰ χερὶ δ' ὀνείρῳ
Ἐξ ὕπνου κινίω, αὖτις ἀδδὲ πάλιν.

Vir quidam parcus thesaurum in somnio contrectans, optabat mortem propter dives somnium. Ut verò pristinam vidit, post umbratile somnii lucrum, expertectus è somno paupertatem, denuò dormivit. F

Apud Theocritum Piscator somniat aureum piscem. *Eras. in Adag.*

VITÆ PERICULO, MORTIS CONTEMPTU.

☞ *Ex loco, Thesauri inventi magica arte, hucquædam.*

CÙM POLYCRATEN, Samiorum tyrannum, Orœtes Sardium præfectus in animo haberet capere, & avarum esse sciret: simulans se à Rege Cambyse velle deficere, & Polycrati se conjungere; implevit octo scrinia lapidibus, superficieque tenus aurum instravit, & Mæandrino legato Polycratis ostendit. Polycrates re comperta, spe auri potiundi profectus, captus, & in crucem suffixus fuit. *Herod. l.3.*

MILITI, qui per expeditionem, annona arctissima, residuum cibariorum, tritici modium, centum denariis vendidisse arguebatur, vetuit Galba, simul atque indigere cibo cœpisset, à quoquam opem ferri: itaque fame extabuit. Et apud Prænestinos invalescente fame, Dei judicio factum est, cùm modius frumenti cc. drachmis venisset, ut ven- G ditor ipse cum magna sua pecunia interiret, emptor evaderet. *Strabo l.5. & Suet. in Galba.*

Euphorion Chalcidicus scriptum reliquit, apud Romanos minas quinque iis exponi, qui pati voluerint, ut caput sibi securi amputetur, ut eorum hæredes hoc lucrum consequantur: sæpiusque, si multi nomen dederint, de primo loco contendunt. *Ath. l.4. c.17.* Sed Græci hominis hæc sunt mendacia.

RICARDUS, Anglorum Rex, exhaustus erat omni propè Anglico auro, partim ad se redimendum, partim ad Othonem, Hentici Saxoniæ ducis fratrem, Imp. designatum, contra Philippi partes, sublevandum deprompto: ad hoc belli Francisci necessitatibus exinanitus. Ad Calacum, oppidum in Lemovicum finibus, ingentem vim auri reconditam fama ferebat. Lemovices ipsius beneficiarii erant, & Aquitanis contribuebantur, sed à Franco Rege stabant. Dum ergo Calacum tentat, è muro ictus scorpione, in castra inter manus relatus paulò post expiravit. *Æmil. l.6.*

CONJUGIO, MATRIMONIO.

ÆSCHINES Socraticus, Hermæi unguentarii uxorem 70. H annis natam se amare simulans, ita testari fecit, ut maritum filiosque mendicos reliquerit. Tum ipse Hermæi facultates adeptus, pro caupone se unguentarium declaravit. Ita puellam cum amore accepit, ætate illius opportuna fruens, ut multò esset facilius, paucioresne dentes haberet connumerare, an manus digitos. *Ath. l.3. c.ult. Hæc de eo Lipsius.*

Multi Romani Nuptiarum fœdus ineunt, & liberos gignunt, non quò hæredes habeant, sed quò hæredes esse queant. *Plut. de Nativa progen. charit.*

Quum Philippo Vicecomiti, post interfectum fratrem Jo: Mariam, paternum imperium repetenti pecunia deesset, à Beatrice Tenda, vidua Facini Canis, celeriter impetratur, propositis cum novo principe nuptiis, quas ipse Facinus in extremo vitæ actu suasisse ferebatur. Nec eas abnuit Philippus, quamvis ætate fortunaque impares. Itaque levis mulier, intempestivæ libidinis, & majoris imperii avida, vix detersis lachrymis, inauspicati conjugii thorum subiit, quaterque centena millia aureorum numum dotis nomine dinumeravit. *Iov. in Philippo.*

D I-